



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 10. Duo Equites Templarii ultimo supplicio afficiuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

## §. X.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1314.*Duo Equites Templarii ultimo supplicio afficiuntur.*

Interim Parisiis memorabile supplicium de duobus Templariis est sumptum. Arnaldus Aufcitanus Episcopus Albanensis, duoque alii Cardinales Legati, Archiepiscopus Senonum, & alii quidam Præsules cum nonnullis canonici Juris Doctoribus data opera accitis ad perpetuum carcerem condemnarunt Magnum Magistrum Templariorum,Inspectorem Franciæ, ac duos Equites, Aquitano alterum, alterum Normannico Ordinis beneficio præditos, quos judicandos Papa reservaverat sibi, sed postea illis Præsulibus permiserat. Damnarunt vero hos quatuor Templarios propterea, quod essent publice facti omnia sine ulla exceptione crimina illata sibi, ac velle in confessione sua persistere viderentur. Hæc sententia post maturam deliberationem pronunciata fuit in atrio templi Dominæ Nostræ die lunæ post anniversariam S. Gregorii Magni nimirum decima octava Martii anno 1314, & Cardinalium quidam concionem habuit.

Verum obstupere animi, cum ex damnatis duo scilicet Magnus Magister

Sæcul. XIV. ac Eques Normanniæ Beneficiarius ad  
A. C. 1314. Cardinalem, qui orationem dixerat, &  
 ad Archiepiscopum Senonensem conver-  
 si recantata confessione sua se innocentes  
 pertinaciter affirmarent. Cardinales ca-  
 pitali Tribuno Parisino, qui aderat, il-  
 los tradidere asservandos solummodo, do-  
 nec amplius ea de re consultassent,  
 quod postridie futurum esset. At Rex  
 in palatio, ubi agebat, id edoctus non  
 accersitis Clericis sibi proximos consu-  
 lere satis habuit: & sub vesperum ejus-  
 dem diei duos fontes una comburi voluit  
 in parva Sequanæ insula regium hor-  
 tum inter & Augustinianos sita. Per-  
 stantes in negatione sua ad mortem us-  
 que ignem perferebant ea constantia,  
 ut præsentis omnes admiratione defi-  
 geret. Reliqui duo carceri, ad quem  
 condemnati fuerant, inclusi sunt.

## §. XI.

*Clementis V obitus.*

*Ravn. n. 14.*  
*Hal. vit. to. 1.*  
*p. 54. 60.*  
 Papa Clemens Avenione Montilium pro-  
 pe Carpentoractum una cum curia  
 delatus sua ibi die S. Benedicti 21 Mar-  
 tii sacro in senatu coram se promulga-  
 ri jussit sanctiones Concilii Viennensis,  
 quas in ordinem redigendas curaverat,  
 ex iis septimum librum Decretalium con-  
 fecturus, sicut Bonifacius VIII sextum  
 com-